

ber constat) per totum penè librum multis rationibus confirmatam, tandem conclusam infert. Primum quidem ex hominis fragili & caduca conditione, ex omnium rerum sine aliqua novitate continua revolutione, ex testimonio experientiæ ipsius Ecclesiastis, ex administratione varia & multiplici, & in id quod penitus contrariū & adversum est mutata, ex omnium ordinibus & ætatibus. Ex quibus omnibus concludit, omnia quæ sub sole sunt vanissima esse. Quę præterea de hoc versu observanda sunt, vide suprà initio libri.

**V E R . II.** *Quamobrem potius quam fuerit Ecclesiastes sapiens, præterea docuerit scientiam populum, & attendens, scrutatusq; concinnaverit sententias multas.*

Sequitur adhortatio ad piūm quemq;, ut in his acquiescens fœlicitatem aliunde quam in his caducis rebus quærat, nec se patiatur horum amore irretitum teneri.

Ubi considerantur rationes, quibus adhortatio fititur præeentes, & subsequentes: & ipsamet adhortatio.

De his ordine, ut posita sunt, dicemus. Et primum quidē in universa hac rationum coacervatione animadvertisendum est, quam sègrè ab amore hujus mundi, & rerum istarum quæ pereunt, abducimur, qui hanc Prophetæ doctrinā tam & copiosè, argumento-

**Q q 2                    sc, 86**